



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. II. Sua cuiq[ue] ferenda Crvx, nulla eligenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT II.

Sua cuique ferenda CRUX, nulla eligenda.

Tollat CRUCEM suam. *Matth. 16, 24.*

*Non tua, sponte tuâ, CRUX est, quam deligis,
ast hæc,*

Dius ab eterno quam tibi struxit amor.



NIMATAM hoc pacto Stauro-
philam Christus in eum edu-
xit locum, vbi plures variæque
CRUCES per terram sparæ ia-
cebant. Illa verò iam accincta,
& generosior videri gestiens, exiguam quam-
dam è pluribus præripere festinabat. Lepidè
igitur, & quasi re benè gestâ ita cantillabat.

*Magna ferant, magnum quibus est in corpore
robur,*

*Parua erit hæc humeris CRUX satis apta
meis.*

Cùm Christus: Quid hoc, ô Staurophila? in
ipso rursus offendis limine. Num tam citò
exciderunt, quæ pridem audisti? Quomo-
do? reponebat illa. An non, Domine, hoc
CRUCEM tollere? Est, inquiebat Christus,
sed non vt docui. Neque enim vtcumque
dixi TOLLAT CRUCEM; sed notanter addidi

SVAM.

Tollat CRUCEM suam. *Math. 16, 24.*



*Non tua, sponte tuâ, CRUX est, quam deligis; aet hinc
Dius ab eterno quam tibi straxit amor.*

SVAM. Et quæ, inquiebat illa, mea CRVX? nōne hæc, quam e multis selegi? Nequaquam, aiebat Christus, non enim conceditur hîc vt pro vōto quisque eligat, sed CRVCEM expectare oportet de manu Dei. Erravi, vt video, inquiebat Staurophila; nam ita mecum ratiocinabar: Ex malis eligendum minus, adeoque, si ferenda omnino CRVX, exigam sufficere. Non leuis, inquiebat Christus, hic error; CRVCEM siquidem in malis numerare, malum est. Hæc enim carnalium & mundanorum, hæresis quædam est, qui corporis sensibus, cuiusque rei bonitatem metiuntur. Verum ratione & fide te niti volo; quas si adhibueris, CRVCEM malas non affirmabis. Remoue enim opinioem istud velum, & oculos ad afflictionum ortum refer, ac finem. Videbis sanè illum, à bono; hunc, in bonum. *Origo certè CRVCIS, & cuiusvis afflictionis, à Deo: id est, non ab ipso summo bono solùm, sed bonorum omnium auctore, capite, fonte. A quo non magis est vt malum aliquod emanet, quàm vt malus sit ipse. Benefica tantùm & salutâris illa vis: qua ledere aequè spernit, ac ladi: & cui vna summâq; potentia est, prodesse.*

Lipfitus l 2.
de Const.
cap. 6.

Fine quoque, vt dixi, CRVX bona; quia ad bonum directâ semper, & salutem: imò rectâ & certa ad hanc via. Quî

I

igi-

igitur malum fit, à quo summum homin
bonum?

Sed age, fidei lucernam hîc accendamus
vt omnis dispellatur caligo. Credisne, Sta
rophila, me verum Dei Filium, verè & rea
liter in augustissimo, Eucharistiæ Sacramen
to contineri? Scio equidem, quòd credas
sed dic mihi modò, cur id adeò firmiter te
neas. Respondit illa: Quia tu, ô æterna Ver
ritas, id nobis reuelasti, & sacratissimo tu

Matth. 26, ore dixisti: *Hoc est Corpus meum.* Cur ergo
26. inquiebat Christus, afflictiones & CRVCES
non sentias bonas, cum idem ipse dixerit

Matth. 5,3 *Beati pauperes spiritu: Beati qui lugent: Be
ti qui persecutionem patiuntur propter iustitiam?*

Tacebat ad hæc Staurophila, siue quòd
consentiret, siue quòd nihil occurreret quòd
posset opponere. Cum rursus Christus: V
den' quid tam hinc consequatur? Quid? in
quiebat illa. Nimirum, si bonæ CRVCES, di
cebat Christus, non aspernandas illas, sed
magis optandas: & ex bonis non eligen
dum minimum, sed maximum. Video quò
dem, referebat Staurophila, id sequi; sed quò
est, qui id possit? Vt faceres, inquiebat Chri
stus, præiui exemplo. *Nasciturus enim cum
essem eiusdem cuius nunc sapientia & prestis
tis, utpote Dei virtus, & Dei Sapientia, esset*

Bernard.
Serm. 3. de
Natiuit.

*in meo arbitrio quodcumque vellem eligere
tempus, elegi quod molestius est, præsertim
paruulo, & pauperis matris filio. Meus erat* Pl. 49, 10.
*orbis terra, & plenitudo eius, & tamen elegi
stabulum: calum mihi sedes erat, & terra sca-* Isa. 66, 1.
*bellum pedum meorum, & pro regali throno,
elegi præsepis angustias. Iam verò quid de
me prædictum? nõne quòd scirem reproba-* Isa. 7, 15.
re malum, & eligere bonum? Malum ergo vo-
luptas corporis, bonum verò afflictio est. Siqui-
dem & hanc elegi, & illam puer sapiens, Ver-
bum infans reprobaui.

Optimum, respõdebat Staurophila, exem-
plum: sed quotusquisque est, Domine, qui
per hanc viam te sequatur? Ecquis erit qui
contemptis huius vitæ commodis, aduersa
præ illis eligat? Nescis, respondebat Chri-
stus, quot habuerim habeamq; veros CRV-
CIS amatores. Non incidit tibi quid de fan-
cto Francisco litteris proditum sit? *Labora-* Bonauent.
bat hic infirmitatibus multimodis tam graui- in Vita
ter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret c. 14.
absque ingenti passionis dolore: ad hoc tan-
dem per varias & diuturnas, aegritudines de-
ductus est, vt consumptis iam carnibus quasi
sola cutis ossibus hereret. Cumq; duris corporis
angeretur doloribus, illas suas angustias, non
pænarum censebat nomine, sed sororum. Cùm
autem grauius solito dolorum vrgeretur acu-

leis, quidam Frater simplex dixit ad eum: *Frater, ora Dominum, ut mitius tecum agat: numerum enim suam plus debito super te graue videtur. Quo addito, vir sanctus cum eundem exclamans, ait: Nisi noscerem in te simplicitatem, tuum ex nunc abhorrerem contemptum, qui ausus fueris circa me diuina iudicia reprehensibilia iudicare. Et licet totus esset tritus grauis prolixitate languoris, proiecisset se in terram, ossa debilia duro casu collidebat, deosculans humum, Gratias, inquit, tibi Domine Deus, de omnibus his doloribus me tēq; mi Domine rogo, ut centuplum, si tibi pauerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore, non parcas, cum tu sancte voluntatis adimpletio, sit mihi consolatio superplena.*

Iob. 6, 10.

Acta canonizat.

Quid verò de generoso hoc animo censes, Staurophila? Num ille minimā contentus CRUCE? Nec solus in hac mente fuit & cognominis illi Xauerius; qui abundantiam diuinarum consolationum exclamare solebat: *Satis est Domine, satis est. CRUCIBVS, laboribus & persecutionibus dicebat: Amplius Domine, amplius. Non liberares hac CRUCE, nisi grauiorem immittas.*

Sed ne quidquam desit, proponam tibi sexus tui exemplum prorsus memorabile. Sponsa mea Catharina Senensis adeò afflictionibus

Etionibus delectabatur, nihil ut in hac vitâ Surius in
Vitâ.
 tantum ei solatij adferret, quantum CRUCES;
 sine quibus, ut ipsa aiebat, vita hæc ei fuisset
 molestissima: propter eas autem perlibenter
 tulisset beatitudinis dilationem, non ignorans,
 illam afflictionibus non parum augeri. Appe-
 tita autem graui calumniâ, cum eam multis
 lacrymis ad me referret, apparui ei, habens
 in dexterâ coronam auream miri decoris, in si-
 nistrâ spineam, dixiq; ei, ut eligeret, utram
 mallet. At illa, Ego, inquit, Domine, cupio in
 hac vitâ tuæ passioni semper conformari, &
 pœnas amplecti pro refrigerio: simulq; è sini-
 strâ spineam coronam feruenter arripiens, il-
 lam vi multâ impressit capiti, illud undique
 spinis compungens.

Quid iam tibi videtur? num omnes CRU-
 CEM abhorrent? num minimam requirunt?
 aut si possent, ut tui similes, nullam? Verùm
 hi omnes perfecti & sancti fuerunt, inquiebat
 Staurophila, ego autem peccatrix sum, & ad-
 modum tenera. Sed enim, regerebat Chri-
 stus, quid obest quò minus & perfecta &
 sancta fias? nec aliis caro ænea fuit, sed erant
 homines passibiles, similes tibi. Verùm non
 id modò ago, ut ad tam excelsa te vrgeam;
 tantum ne ipsa tuo arbitratu CRUCEM tibi
 deligas, dicens cum imperfectis: Hoc &
 istud facile admisero, sed quæ mihi modò

Thom. à
Kemp. 1.3.
cap. 19.

imponitur CRVX nimis ea grauis est, quæ
vt ferre queam. *Non est, crede mihi, vultu
patiens, qui pati non vult, nisi quantum
visum fuerit, & a quo sibi placuerit. Verus
patiens indifferenter ab omni creaturâ, quantum
cumque, & quotiescumque ei aliquid ad
acciderit, totum hoc de manu Dei gratanter
cipit, & ingens lucrum reputat. Si te ipsam
edocta es, abnegasti, si intellectum & volun-
tatem ex integro mihi resignasti, quid
quod nunc, velut oblita priorum, iterum
in consilium adhibeas? An non ego, æternam
Sapientia, ita ordino vniuersa, vt quidquid
acciderit, id tibi certè bonum atque utile
Domine, agebat Staurophila, nimis insipie-
ter egi, propriâ innitens sapientiâ: & fateor
ex prudentiâ carnis processit hæc electio
quæ fortè periculo non vacat. Ita est, inquit
bat Christus, *Væ enim portantibus CRVCEM
non SVAM, sed alienam! Væ citharædis cithari-
zantibus, non vt illi de Apocalypsi, in cithari-
zantibus, sed in alienis. Aliena enim censeretur
bet CRVX, quam propriâ quis elegerit sponte;
propria autem, quæ à Patre meo vnicuique
destinata & imposita fuerit, cuiuscumque
tandem ad hoc manibus vtatur. Cuius
virgo Gertrudis commiseratione mota, orauit
pro quadam personâ, quam audierat impatien-
ter conquerentem, quod Deus ei grauamina**

Bernard. in
Apolog. ad
Guiliel.
Abbat.
Apoc. 14, 2.

Blos. in
Monil.
cap. 10.

immitteret saluti suæ minùs conuenientia ; re-
 spondit ei Dominus : Dices illi pro quâ oras, ut
 quia sine aliquâ saltem tribulatione vel mole-
 stiâ regnum caeleste obtineri non potest, eligat
 atque indicet quanam grauamina sibi utilia
 esse putat : & cum hæc ipsi euenerint, seruet pa-
 tientiam. In quibus verbis Gertrudis intelle-
 xit, periculosissimum genus impatientiæ esse,
 quando homo peruersè ac superbè eligere vult
 quæ ferat, dicens saluti suæ minùs congruere,
 seq̃ non posse sustinere ea grauamina, quæ sibi
 à Deo immittuntur. En quantum in electio-
 ne CRVCIS periculum : tu verò iam admo-
 nita, illud seriò vitabis.



Exeamus ad eum extra castra, improp-
rium eius portantes. *Hebr. 13, 13.*



*Hanc CRVCIS ipse viam, populo plaudente, praerit
Et pudor est Domini ponè subire pedes*